



**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,  
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione  
Et Anima

**Młodzianowski, Tomasz**  
**Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Quæstio I. Quid definitivè materia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

# DE PRINCIPIIS, ET CAUSIS INTRINSECIS, IN PAR- TICULARI.

**N**omine causarum & principiorum intrinsecorum, venit Materia & Forma; de utraque agendum. Imprimis sub formalitate principii, postea sub formalitate causæ.

## DISPUTATIO III.

De principio intrinseco, quod est Materia.



Materia, ut videre est, apud Suarez, Disp. 13. Sect. 1. alia est ex qua, alia in qua, alia circa quam. Hæc omnia, non sunt distincta ab entitate materiæ, sed eadem Materia, ratione diversorum respectuum, diversa hæc nomina sortitur. Vocatur enim Materia ex qua, quia ex illa componitur compositum, sed magis proprie, quia ex illa educuntur formæ Materiales; vocatur materia, in qua, quia in illa subiectantur formæ, recipiuntur accidentia. Vocatur materia circa quam, operatur agens. Ratione harum formalitatum, materia spectat ad Physicam, licet etiam alia scientiæ, quæ proportionatam habent materiam, vel artes, proportionatè etiam subdistinguant sibi suam materiam. Rursus Materia, alia est prima, alia secunda: Materia prima, dicitur, subiectum, quod nullum prius se supponit subiectum; Materia autem secunda, est, subiectum, quod præsupponit aliud prius Subiectum, & ita elementa, quæ sunt materia ex qua, sit mixtum, sunt materia secunda, præsupponunt enim Materiam primam, compositum item in sententia istorum, qui accidentia volunt subiectari in toto composito, respectu accidentium, vocatur Materia secunda; Nobis nunc erit res, de Materia prima.

### QUÆSTIO I.

*Quid definiti-ve materia.*

**T**ractando de essentia Materiæ, primò definitionem illius expendemus; deinde attin-

geimus primò essentialem ejusdem conceptum.

Advertitur, communiter, entia perfectissima & imperfectissima duplici via definiri solere, via Affirmationis, & via Negationis. Via affirmationis fit definitio, quando definito tribuuntur cumulativè perfectiones, & ita definitur Deus; quod sit ens à se, infinitum, simplicissimum &c. Via autem negationis, res definiuntur, tam perfectissimæ, quam imperfectissimæ, removendo scilicet prædicata, quæ iis non conveniunt, ut cum definitur Deus, quod non sit corporeus, limitatus &c.

Materia prima, est etiam ens imperfectissimum, ex substantiis, quæ dantur materialibus, dixi ex substantiis, quia accidentia materialia, longè sunt imperfectiora præ materia; quæ substantia est, dixi ex substantiis Materialibus, quæ dantur, non implicat enim imperfectior substantia, minusque participans, de assimilatione ad summum esse. Hoc ens imperfectissimum, quod est materia, definitur, & via negationis, & via affirmationis.

Via affirmationis definitur materia prima ab Aristotele 1. Physicor. text. 82. *Materiam dico, inquit, Subiectum primum uniuscujusque, ex quo aliquid fit cum in sit, & non secundum accidens, & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit ultimum.*

EXPLICATUR definitio, dicitur materia, Subiectum, ut distinguatur à forma; dicitur primum, ut excludantur materiæ secundæ, quale est lignum respectu statuæ, dicitur uniuscujusque, quia materia est potentia respectu omnium formarum, quia verò materia distinguitur à privatione, quæ non est principium in facto esse, distinguitur item à causis extrinsecis, ideo additur quod

quod ex ea aliquid, hoc est compositum, fiat, cum in se, tanquam scilicet per partem intrinsecè componentem, & quia ingreditur compositum substantiale informatum scilicet, non forma artificata aut sola accidentali, ideo additur esse subjectum non secundum accidens, denique quia corrupto composito ipsa manet, additur in hoc abibit ultimum. Ly Subjectum est, potius genus, quam subjectum primum, quia per ly primum, sufficienter distinguitur à materia secunda, quantumvis etiam per alias particulas distinguatur ab illa, reliqua ponuntur differentiæ loco.

Via negationis, sic definit materiam primam Aristoteles, 7. Metaph. tex. 8. *Materia est, quæ per seipsam neque est quid, neque quantum, neque aliud quidquam dicitur, quibus ens determinatur, neque horum negationes, est enim id, de quo, horum singula prædicantur.* Genus hinc subintelligitur, nempe quod materia prima, sit substantia, reliqua ponuntur differentiæ loco. Dicitur autem materia non est quid, scilicet se solo completum, ut distinguatur à toto composito, ut verò condistinguitur à forma, non est id per quod ens determinatur, ut distinguatur à formis accidentalibus, dicitur non esse quantum, ut verò non imaginaremur, quod materia sit absolute nihil, additur esse id, de quo singula prædicantur, quia est subjectum inhesionis horum omnium, proindeque illa omnia dici possunt denominativè, de Materia, itam Materia est, quanta, est qualis &c. unde, quando dicitur Materia, non esse quanta, intelligendum est, quod non sit quanta substantialiter, quando autem dicitur, quod de illa singula dici possint, adeoque & quantitas, accipiendum est, quod Materia sit quanta denominativè, tanquam subjectum inhesionis.

#### Ad defendendas has definitiones.

Noro primò. Non carere aliquibus superabundantibus has definitiones, non esse tamen rejiciendas, eo quod ens ignotissimum; ex pluribus adjunctis facilius innotescere possit.

Noro secundò. Licet per Aristotelem 6. Top. loco 32. non sint faciendæ definitiones per prædicata negativa, hinc mala esset definitio hominis, homo non est saxum, non planta &c. tamen quia hæc doctrina procedit de entibus, ut ita dicam mediæ perfectionis, & cum materia prima, sit ens imperfectissimum, bene prædicto modo describi potest.

Noro tertio. Materiam esse ens, quia si esset nihil, in mutatione substantiali, res annihilaretur, cum scilicet, nec forma, nec materia illius maneret, esse item ens substantiale, quia nec posset intrinsecè componere compositum substantiale, & quod est prius omni accidente,

non potest esse accidens, hoc enim ipso non esset prius omni accidente, quia ipsum esset accidens, & tamen non potest esse prius seipso, cum autem materia sit prior omni accidente, si enim est prior aliquibus cur non & omnibus, non ergo ipsa materia erit accidens, non etiam materia prima est elementum, quia elementa transmutantur, quod autem transmutatur, non potest esse Materia prima, quia in omni transmutatione, datur resolutio, in aliquod subjectum primum, Materia autem non potest habere subjectum primum, est etiam distincta realiter à forma, quia destructa forma ligni, manet subjectum commune ad formam ignis, de quo infra.

## DIFFICULTAS II.

De his quæ non sunt primò essentialis conceptus materiæ.

Difficultas est, à Neotericis excogitata; quid sit primò essentialis conceptus Materiæ. Quam quæstionem, sic alii proponunt, quare una pars compositi, est materia, alia forma, item quare materia est subjectum, forma est actus. Cæterum hic secundus modus, proponendi videtur esse involutio, idem enim videtur esse, quærere: quare materia sit subjectum, ac proponere: quare homo, sit animal rationale, quæ quæstio non relinquit disputationi locum, quia quando jam respondetur per definitionem, non est ulterius quærendum, nisi fortè indagando; an hæc sit definitio illius, quod idem est, ac indagare, quisnam sit, primò essentialis conceptus.

## Punctum Difficultatis I.

Proponuntur & refutantur duæ Expositiones.

EXPLICAT primo Hurtadus disp. 2. Physic. cap. 23. quare hæc potius pars, sit materia, quam altera, quia scilicet, quando duæ res, uniuntur, & una communicat alteri effectum formalem, & dominationem ab ipsa provenientem, res quæ talem effectum communicat, dicitur forma, res verò cui communicat, dicitur subjectum, consequenter colligitur, quod per illum primò essentialis conceptus Materiæ, sit esse subjectum, cui forma suum effectum formalem tribuit. Exemplificabat hanc suam doctrinam Hurtadus in exemplo albi parietis, cui quia albedo, tribuit formalem suum effectum, & denominationem, ideo

† c 4 albe-

albedo respectu albi parietis, habet se, ut forma, paries autem, qui denominatur, est subiectum. Item actus sapientiæ unitus animæ, denominat illam sapientem, estque forma respectu animæ.

IMPUGNARI posset Primò. Forma rationalis hoc est anima, denominationem spiritualis non tribuit materiæ, & tamen est forma illius. Ergo falsum est, formam tribuere debere denominationem suam formalem.

RESPONDET Hurtado. Secundum eas rationes denominationem tribui, à forma materiæ, secundum quas materia pendet à forma, cum ergo à forma, non pendeat materia, in ratione spiritualis, sed in ratione viventis, sentientis, &c. ideo etiam, denominationes has, à forma accipit, non verò denominationem spiritualis. Porro respectu earum rationum, materia pendet à forma, easque denominationes tribuere potest, quibus denominationibus non dicit materia intrinsecam oppositionem, jam autem denominationi spiritualis, dicit materia intrinsecam oppositionem.

IMPUGNAT Secundò Arriaga Disp. 2. Sect. 3. Subsect. 1. quia scilicet, nihil habet speciale formæ, ratione cuius, illa potius denominet materiam, & non etiam materia denominet formam.

RESPONDET anticipatè Hurtadus §. 24. Duplices esse denominationes quasdam, quibus explicatur actualis receptio & informatio, & denominationes ortæ ex ista actuali receptione, redundant & denominant, tam materiam, quam formam, nam non solum, ipsa materia denominatur recipiens, sed & ipsa forma denominatur recepta; aliæ sunt denominationes sumptæ, ab ipsa forma, vi cuius id, quod convenit formæ, id adscribitur subiecto, v.g. convenit albedini esse albam, & hæc denominatio tribuitur albo, vicissim autem paries albedini, non dat denominationem parietatæ. In forma ergo dici posset, non deesse quidquam, quominus etiam materia denominet formam denominationibus ortis ex actuali receptione, informatione, &c. deesse tamen ne denominetur, denominationibus aliunde præcisè loquendo ortis, quamvis supponentibus unionem. Et certè quia informatio, tam informativum, quam informatum dicit, non erit ratio, cur ad invicem non se denominent. Sed non videmus, ut id, quod respectu aliùs dicit, potentiam passivam, denominet actum suum, & ita visio denominat v.g. librum, liber non denominat visionem, imò signum est aliud respectu aliùs, non esse formam, si denominationem ab illo non accipiat, & ita, quia una gutta non tribuit ullam denominationem, sibi debitam alteri guttæ, ideo una gutta respectu aliùs, non est, sicut forma; consequenter habet formam, ratione cuius, potius denominet materiam, quia ut dixi, nulla est denominatio, quam tribuat potentia passiva ei, quod recipit, exce-

ptis denominationibus ortis, à sola receptione, &c.

IMPUGNAT Tertiò idem, & cum eo Oviedo, poterat, ut sentit Hurtado, appellari albedo parietata, sicut materia appellatur dealbata. Ergo quòd forma non denominetur à materia, provenit ex voluntate hominum, at quòd materia sit subiectum albedinis, & non è contrario, non pendet à voluntate hominum.

RESPONDETUR. In hac Sectione secunda, non reperiri, quòd Hurtadus dixerit, posse dici albedinem parietatam, imò hoc negat expressè §. 24. sed quidquid sit de mente Hurtado, non convincit adhuc argumentum, quia fieri potest, ut albedo, denominetur parietata, ad significandum hoc, quòd sit unita parieti, voces enim merè sunt ex placito humano, sed non posset hoc fieri, ut effectum suum formalem paries tribuat albedini, hoc enim non pendet à placito humano.

*Hæc tamen explicatio absolute loquendo.*

NON SATISFACIT Primò. Id ratione cuius pars A, est potius Materia, & non pars B, debet esse simul, primò essentialis conceptus constitutivus materiæ, ut patet ex statu questionis huius, sed esse id cui tribuit formæ effectum suum formalem, non est primò essentialis conceptus materiæ, quod ipsum probatur. Primò essentialis conceptus debet esse talis, ut nihil ante ipsum præsupponatur, sed ante id cui tribuitur effectus formalis formæ, præsupponitur aliud, ipsum scilicet esse, cui tribuitur effectus formalis. Ergo id non est primò essentialis conceptus materiæ. *Idem sic proponitur* Materia per te est id, cui forma potest tribuere effectum suum formalem, quæro istud posse recipere effectum formalem à forma, vel fundatur in aliquo esse, vel non fundatur; si non fundatur, Ergo non omne posse præsupponit esse; Si fundatur, quæro: esse in quo fundatur illud posse recipere, vel est commune cum alia comparte B. vel non est commune; si est commune. Ergo illi esse, non est debitum illud posse, unde & animæ rationali debentur suæ potentia; si autem non est commune, Ergo est differentiale distinctivum partis A. à parte B. Ergo & constitutivum in ratione materiæ. Ergo illud potius esse, est causa cur pars A, sit potius materia, quam pars B. & de illo constitutivo quæritur: quid sit.

NON SATISFACIT Secundò. Quia, quòd forma communicet suum effectum formalem, per hoc ipsum formaliter non constituitur materia. Ergo nec primò essentialis, hoc est, Antecedens, probatur. Tum quia hoc provenit ab extrinseco, id autem quod constituit materiam, debet illi esse intrinsecum. Tum quia per hoc, quòd materia, sit, cui forma potest communicare suum effectum formalem, non ex eo primo, forma, est forma. Ergo etiam non ex eo, primò,

primò, materia est materia, quia ei effectum suum formalem potest tribuere forma, sicut enim in forma præsupponitur esse, ad quod sequitur, ut possit illud communicari materiæ, ita & in præsentia præsupponitur esse materiæ.

NON SATISFACIT Tertiò. Quia ista formalitas, est respectiva, quomodo ergo erit entis absoluti, qualis est materia primò essentialis conceptus, ignorantique, quid sit materia ac forma, æquè ignotum erit istud activum tribuere esse formale, & passivum illud tribui esse.

EXPLICAT Secundò Arriaga disp. 2. Sect. 3. Subsect. 2. Quando duo, ita secum uniuntur, ut unum se habeat quasi antecedenter ad aliud, aliud verò ei superveniat, tunc id, quod antecedit, dicitur recipere & subjici. Quod verò supervenit, dicitur recipi & complere.

IMPUGNARI solet hæc explicatio. Natura antecedit suam subsistentiam, forma item & materia antecedunt unionem, & tamen neque natura, neque hæc partes sunt materia.

RESPONDETUR. Posset natura & partes dictas esse materiam non nisi proportionatam, eò quod in multis deficiant à materia, de qua hic: & sicut per oppositos, non repugnat dicere animam, suorum actuum subjectum, potentiam, &c. ita nec repugnabit partes compositi, dici materiam unionis. *Ceterum hæc Explicatio*

NON SATISFACIT 1. ex Oviedo, quia nullum signum, est prioritatis naturæ & antecedentiæ, quæ conveniat materiæ respectu animæ rationalis, cum materia non se habeat per modum causæ, ad illam, quando autem aliqui, ad complebitatem recurrunt, quod illud, quod prius est, compleatur, hoc compleat, jam potius completivum, deberet esse primo essentialis conceptus formæ, & esse complebile, deberet esse primo essentialis conceptus Materiæ.

NON SATISFACIT 2. Prius est, esse constitutum & differens, partis A, à parte B, quam sit ista antecedentia? Ergo ista antecedentia non est ratio primò essentialis constituens illam in tali esse. Antecedens probatur. Tum quia esse absolutum, prius est esse relativo, priusque est esse, potentia. Tum quia si primò essentialis conceptus materiæ, esset antecedentia, tunc duarum distinctarum formalitatum, idem esset primò essentialis conceptus, quod est absurdum, quomodo enim, jam duæ essent illæ formalitates, si eundem primò essentialis conceptum haberent. Sequela autem probatur. Formalitas antecedentis, est una formalitas, ratio item materiæ est alia formalitas, & tamen esset idem primò essentialis conceptus, istarum formalitatum, scilicet, antecedentia, imò jam sequeretur, quod ubicunque esset antecedentia, illic esset ratio materiæ, atque ita, quia primus pulsus, est antecedens secundi, tunc primus pulsus, erit materia secundi. Quod si dicas, non nisi talem antecedentiam esse constitutivam mate-

riæ, hæc ipsa erit explicanda, illaque potius erit primò constitutiva materiæ, si erit legitima.

NON SATISFACIT 3. Quia creatio est forma creati, non est tamen posterior creato, sed prior, etiam in omni concreto. forma est prior, & tamen respectu illius, forma est forma, & non tantum materia. Ergo dicta antecedentia, non est primò constitutiva materiæ.

RESPONDET Arriaga, rem creatam non esse propriè subjectum receptionis, respectu creationis, sed est subjectum adhesionis, qui scilicet significat creationem, ita esse unitam, ut quo, res creata movetur illuc & actio moveatur, & ubi ubicatur res creata, ibi ubicatur & creatio.

CONTRA est. Quia possibilis est forma, quæ exigit non nisi ita uniri materiæ, sicut unitur creatio rei creatæ, & tamen res creata non habet rationem antecedentis ad creationem, consequenter nec materia respectu talis formæ, habebit rationem antecedentis, adeoque tunc materia non esset materia. Deinde huiusmodi subjecti receptionis deberet dari primò essentialis conceptus, & hic potius erit definitivus materiæ.

ADDE posset. Quod per Arriagam disp. 5. n. 37. malè deducatur ex eo, quantitatem esse subjectum accidentium, quia illa præcedit. Primus item gradus, præcedit secundum, nec est materia illius, nec illum recipit. Ergo antecedentia sola non rectè explicat materiam primam.

## Punctum Difficultatis 2.

*An perfectibilitas & actus entitativus sit  
primò essentialis conceptus  
materiæ.*

EXPLICAT Tertiò Oviedo Contr. 7. Physicar. p. 3. §. 3. Ideo partem A. esse materiam, quia perficitur à parte B; partem verò B. ideò esse formam, quia perficit partem A. *Hæc Explicatio*

SUPPONIT 1. Materiam intrinsecè, secundum scilicet entitatem, non perfici per formam, neque è converso, quia utraque habet distinctam suam entitatem ab alia, cum omni perfectione pertinente ad sui constitutionem.

SUPPONIT 2. Formam non ordinari primario ad perfectionem materiæ, alias forma esset accidens, quidquid enim est, propter aliud, supponendo illud aliud ante se, habet rationem accidentis.

SUPPONIT 3. Quædam prædicata, composito convenire ratione materiæ, alia ratione formæ, ratione formæ dicitur homo rationalis, ratione

tione materiæ, dicitur corporeus. *His suppositis*

Ita rem explanat. Inter extrema, quorum neutrum ordinatur ad perfectionem, intrinsicam alterius, qualia sunt materia & forma, illud extremum, quod ratione alterius, à se distincti, habet nobiliora prædicata, & perfectiones proprietas, quasi passivè communicat, dici perfectibile ab altero, & per hanc rationem, constitui Materiam in ratione materiæ, illud verò, quod ratione sui, habet in composito nobiliora prædicata, & ea quasi activè communicat alteri extremo, dicitur illud perficere, & per hanc rationem Forma constituitur in ratione formæ. Sic v.g. in composito humano, esse præsentis, durantis, existentis, sunt prædicata, quæ ratione utriusque partis, materiæ scilicet & formæ, conveniunt composito, esse autem materiale compositum, convenit nonnisi ratione materiæ, sed discutivum, cognoscitivum, volitivum, &c. nonnisi à forma pendet, quæ prædicata sunt nobiliora, præ prædicatis ex materia oriundis. *Breviter* ergo, perfectibilitas erit primò essentialis conceptus materiæ & perfectivitas formæ.

IMPUGNARI posset Primò hæc Explicatio. Prædicatum ingenerabilitatis, incorruptibilitatis, sustentativi, &c. sunt prædicata nobiliora, præ prædicato generabilitatis, corruptibilitatis, sustentabilitatis, & tamen prius convenit materiæ, postèrius formæ substantiali materiali. Ergo ex nobilitate prædicatorum, non debet argui ratio formæ.

RESPONDERI posset. Non ex nobilitate utriusque prædicatorum argui rationem formæ, sed ex nobilitate communicatorum prædicatorum, prædicta autem prædicata non communicant materia formæ.

IMPUGNARI posset eadem explicatio. Si idem esset accipere nobiliora prædicata, quod esse materiam. Ergo ex duabus formis substantialibus, posset fieri unum per se, posset enim, una alteri communicare nobiliora prædicata.

RESPONDERI posset. Non posse communicare, quia & ad unum per se, & ad communicationem prædicatorum, requiritur ordo ad invicem, qui non datur inter duas formas substantiales. *Ceterum hæc Explicatio*

NON SATISFACIT Primò. Non implicat contradictionem, dari materiam perfectiorem formæ, communicativamque horum prædicatorum composito, & tamen per se ordinatam, ad constituendum aliquod compositum. Ergo per rationem perfectibilis, sive passivè nobiliora prædicata communicantis, non constituitur materia.

RESPONDETUR I. Hoc ipso illa materia non esset intra latitudinem materiæ, si esset perfectior forma.

CONTRA est. Quia non repugnat intra latitudinem materiæ manendo, superare formam substantialem. Consensus Doctorum in Oppositum procedit, de præsentibus, perfectionibus Materiæ, formis substantialibus, quem ipsum consensum, quia non repugnat falli, idè ex hoc capite non repugnabit perfectior materia.

RESPONDETUR 2. Illam materiam, hoc ipso quia foret materia, fore actuabilem potentiam, adeoque & perfectibilem, omne enim actuabile est perfectibile.

CONTRA est: Non implicat contradictionem esse aliquid actuabile substantialiter, quamvis ab imperfectiori.

NON SATISFACIT Secundò. Quia posse perfici, est prædicatum postèrius, supponensque esse materiæ, constitutum differentialiter. Urgeantur dicta contra Hurtadum.

NON SATISFACIT Tertiò. Quia id, per quod pars A, debet esse materia, debet esse tale, quod sit intrinsicum, & constitutum materiæ. Sed perfectibilitas, non est quid intrinsicum constitutum materiæ. Major probatur. Quod facit, ut homo sit potius in esse hominis, & non leonis debet esse intrinsicum homini, & sic de reliquis. Ergo idem, & in præsentem dicendum. Quod ipsum in hoc fundatur, quia hoc quod est constitutum alicuius, debet esse genus ultimum & differentia infima, hæc autem sunt intrinsicæ, sed esse perfectibile non est quid intrinsicum materiæ, ut fateatur ipse Oviedo, supposito primo: resolviturque in hoc principium, quia nullo extrinseco & distincto à se realiter, potest aliud intrinsicè constitui, & certè omni primo essentiali constitutivo, acquirit res perfectionem intrinsicam, & tamen materia quando habet prædicata perfectiora communicata à forma, non acquirit per hoc perfectionem intrinsicam, ut ipse fateatur Oviedo.

EXPLICAT Quartò P. Stanislaus Markovskij, quòd primò essentialis conceptus materiæ absolute spectatæ, sit ratio actus entitativi, relative autem spectatæ, sit ratio actus entitativi, per modum potentiæ passivè constituentis compositum, hæc explicatio materiæ in esse absoluto spectatæ.

NON SATISFACIT I. Quia conceptus primus materiæ, absolute spectatæ, debet esse illius differentialis, nec competens reliquis, quæ non sunt materia, de tali enim, hic inquiritur, conceptusque primus, est conceptus definitivus, definitiva autem important differentialis materiæ, tem entitativus, non est differentialis materiæ, est enim ratio actus entitativi, ratio generica, certè enim etiam forma, Deus item est actus entitativus, sed non quomodocunque, sed cum differentia v.g. a se, & de omnibus his potest prædicari, quòd sit actus entitativus. Ergo hæc ratio debet esse generica. *Hoc ipsum sic alii*

*ter proponitur.* Sumamus in materia rationem actus entitativi, sumamus & in forma, formetur postea ratio actus entitativi irrestricta intentionaliter: quero, illa ratio ita præcisa, vel differt à materia, vel non differt, si non differt. Ergo apparet rationem actus entitativi, esse rationem genericam utpotè diversis entium speciebus convenientem; si differt, ostende quo? sequeturque formam non aliud esse, quam materiam talem, sicut homo, non aliud est, quam animal tale, sicut enim per rationale in homine restringitur animal, ita in forma restringitur ratio actus entitativi.

NON SATISFACIT 2. Ratio actus entitativi, vel cum aliqua restrictione, convenit materiæ, vel sine ulla: si cum restrictione, quæ illa est, & illa potius erit, primò essentialis conceptus; si sine addito, vel habetur exigentia, & radix, vi cuius materia exigit, ut non nisi sine addito & irrestrictè competat ei ratio actus entitativi, vel non habetur; si non habetur, immerito hoc imponitur materiæ; si habetur, Ergo præter rationem actus entitativi, debet aliquid primò essentialis assignari, ratione cuius competat materiæ ratio illa, nam datur in Deo, in Angelo, in forma, ratio actus entitativi, & tamen in his ratio actus entitativi, non exigit sola & irrestricta esse. Ergo debet dari alia radix istius irrestrictionis. Ergo ratio actus entitativi, non est ultimum resolutorium, quare hoc sit materia, illaq; radix, erit potius primò essentialis conceptus; radix enim prior est natura, suo exigit.

NON SATISFACIT 3. Tum quia dantur aliquæ negationes in materia, ut negatio actus informantis, negatio perficientis materiam &c. quæ negationes, debent necessario in aliquo positivo fundari, ut supponit Philosophia. Sed si ratio actus entitativi esset, primò essentialis, hæc negationes non haberent, in quo fundarentur, si enim ratio actus entitativi, non fundet has negationes in forma, cur fundabit in materia. Tum quia non datur à parte rei animal irrestrictum, nec ullum individuum genericum. Ergo nec dabitur ratio actus entitativi irrestricta. Tum quia, Nego quòd ratio actus entitativi, exprimat essentialiam materiæ, & licet communicet composito Materiæ, rationem Actus entitativi, sed communicat non tanquam rationem propriam & differentialem, sed tanquam pluribus communem.

### Punctum Difficultatis 3.

*An determinabilitas sit primò essentialis conceptus materiæ.*

**M**Eminit hujus explicationis Arriaga citatus, quam Pater Adrianus Pikarski ita explanavit.

SUPPONEBAT 1. Materiam esse de se indifferentem ad constituendum hoc, vel illud, in specie compositum, consequenter materiam, vi materiæ, solum esse natam determinare compositum, quoad individuationem. Formam autem, non solum natam esse determinare, quoad individuationem, sed etiam, quoad speciem, & ita materia hominis, & materia bovis, solo numero differunt, Forma autem bovis & hominis, & individualiter, & specie differunt, nec est indifferens v.g. forma bovis ut constituat compositum bovis.

SUPPONEBAT 2. Determinabilitatem aliam esse Metaphysicam, & aliam Physicam. Determinatio Metaphysica est, per quam essentia, & quod quid rei determinatur, ad hoc in specie esse, cum unaquæq; res, seipsa habeat rationem differendi, ab omni alio ente sibi dissimili in specie. Alia autem est Determinabilitas Physica, determinari enim physice, est transire ab esse privato formæ, ad habere; formam, à non esse completi, actuali, formati, ad esse completi, actuali, formati.

SUPPONEBAT III. Materiam omnem possibilem, esse determinatam Metaphysice, nullam tamen esse determinatam physice, sed esse determinabilem physice, hancq; determinabilitatem physicam, esse primò essentialem conceptum materiæ adstruebat.

IMPUGNARI solet primò ex Arriaga. Possibilis est materia quæ sit determinata ad unam non nisi v. g. formam. Ergo determinabilitas, non est primò essentialis conceptus materiæ.

RESPONDERI posset ex dictis, non esse possibilem materiam physice seipsa determinatam, ad unam formam, certè enim materia seipsa non erit sibi forma, actus, determinatio.

IMPUGNARI solet secundo ex Oviedo. Potest Deus creare formam substantialem indifferentem, ut uniatur pluribus materiis specie distinctis, & constituat composita specie distincta, & tamen illa forma non erit materia. Ergo de ratione materiæ, non est esse indifferentem & determinabilem, ad constituendum hoc in specie compositum.

RESPONDERI posset. Necdum tunc adhuc fore formam indifferentem physice, hoc est actuabilem ab alio actu, informabilem ab alia forma &c. Et sicut v. g. gratia supernaturalis, qualitas est indifferens, ut gratum faciat, vel Angelum, vel hominem, non est tamen indifferens, ut gratum faciat, nam gratia, non per aliam gratiam, est gratia, & Sanctitas, non per aliam sanctitatem est sancta, ita & in præsentia. Unde posset hic condistingui duplex determinabilitas: quædam, ad unum, hæc habetur in tali forma, & alia determinabilitas ad actuari, hæc non haberetur in illa forma.

IMPUGN.

IMPUGNARI solet tertio. Quia determinabilitas, neque est primo essentialis conceptus materię, absolute spectatę, neque materię in esse relativo spectatę. Ergo absolute non est primo essentialis conceptus. Utraque pars Antecedentis per hoc probatur: quia determinabilitas est effectus formę. Vera enim est hæc causalis: Ideo materia est determinabilis, quia est forma determinativa. Ergo determinabilitas, est effectus formę, & tamen materia, adeoque & primus ejus conceptus, præsupponitur formę.

RESPONDERI posset. Si determinabilitas & determinabilitas & determinativitas correlativè sumantur, falsa est dicta causalis, unum enim correlativum, non est prius alio; Si autem determinativitas sumatur, in genere causę formalis, prior est. Sed sicut in genere causę formalis determinativitas, est prior, ita in alio causę genere determinabilitas nempe in genere causę subjectivę, prior est determinabilitas, ad eum planè modum, quo causa est prior effectui, & tamen effectus in quantum est terminus relationis, præsupponitur & prior est relatione causę. *Ceterum hæc explicatio*

NON SATISFACIT I. Quia hæc explicatio, non explanat difficultatem, quod probatur. Assignat primò essentialem conceptum materię, qui à primo ad ultimum sit, ac dicere; materiam primò essentialiter non esse formam, vel dicere negationem formę, & sicut malè quis assignaret, primò essentialem conceptum hominis, qui ultimò resolveretur in non esse bruti, ita & in præsentī malè assignatur, primò essentialis conceptus materię, qui ultimo resolvatur in non esse formę, præcipue, quia negatio illa debet etiam præsupponere aliquid aliud ante se, esse, in quo fundetur, illud ergo potius, erit primò essentialis conceptus. Sequela principalis probatur. Quia si quæratur; quare pars A, sit materia, & non pars B: Respondebitur quia pars A, est determinabilis physice, à parte B: Si ulterius quæratur, quare sit Physice determinabilis? Respondebitur, quia se sola non transit, à non esse privativo formę, ad habere formam, vel certè quia pars A, se sola non dat composito, nisi individuationem, non verò dat se sola speciem, aliter & aliter, idem tamen dicitur, & post hæc quærendum, quare pars A, se sola, non transit ad esse formę, quare se sola non dat speciem, nihil reliqui erit dicere, nisi quia pars A, non est forma. Consequenter à primo ad ultimum, ideo materia est materia, quia non est forma.

RESPONDERI potest, quòd per Non esse formę, non explicetur materia immediate, præcipue, cum hoc etiam, sit aliquid notius.

CONTRA est, vi enim hujus responsionis habetur intentum, nempe secundum ultimam rationem primo essentialem, conceptum mate-

rię, esse, quod non sit forma, hoc autem ex dictis supra, non potest dici. Falsum etiam est, hanc formalitatem; esse notioem: quæratur enim hic, de utroque, quid scilicet sit primo essentialis conceptus formę, quæ negat materiam, & materię, quæ negat formam.

NON SATISFACIT secundò. Esse determinabile physice, non dat formaliter materię & primò, posse recipere formam. Ergo determinabilitas dicta, non est id, per quod materia formaliter est materia, Consequentia probatur, argumento oppositum sentientis, quo ille utitur, contra Hurtadum hic. Recipere formam, non potest nisi materia; Ergo si non per hoc, quod est esse determinabile physice constituitur materia in hoc, quod est formaliter recipere, non per hoc erit formaliter materia, quod sit determinabilis physice, Antecedens primum probatur ex principiis ejusdem, quod forma det effectum suum formalem materię, seu quod materia accipiat esse formale à forma, non constituit materiam in hoc quod est recipere formam. Ergo neque quia determinat physice forma materiam, per hoc constituitur in formaliter recipere, neque enim minor est ratio pro antecedenti quàm pro consequenti; reditque argumentum supra factum: an detur radix exigitiva hujus determinabilitatis.

NON SATISFACIT tertio. Tum quia hæc explicatio salvat sententias ab explicante refutatas, præcipue autem perfectibilitatem, quod sic proponitur. Posita materia perfecta Metaphysice, quamvis adhuc perfectibilis esset physice, non enim sibi daret speciem; tamen perfectibilitas non est primò essentialis conceptus materię. Ergo etiam posita materia determinata Metaphysice, quamvis adhuc esset determinabilis physice, determinabilitas, non erit primò essentialis conceptus. Tum quia primò essentialis conceptus materię, debet esse talis, qui semper, omni materię competat prædicta autem determinabilitas non est talis. Ponamus materiam, quæ exigit non nisi unam formam, & quidem exigit ita, ut illam postulet sibi produci, hæc materia, non solum erit determinata Metaphysice, sed etiam erit determinata physice, quòd enim, non est indifferens, non est determinabile physice, determinabilitas enim, supponit indifferentiam, illa autem materia non est indifferens, cum indifferentiam illius tollat exigentia non nisi hujus formę, & actualis cum illa nexus, & sicut indifferentia ad volendum, & non volendum tollitur volitione, ita indifferentia Physica ad formas, tollitur determinatione, non nisi ad unum, & exigentia Physicā, ut semper cum illa connectatur, & sicut, non est indifferens materia, ut omni forma careat, quia naturaliter non potest sine omni forma existere; ita nec erit indifferens hæc materia ad hanc formam, quia etiam

divinitus non potest sine illa existere; & sicut forma determinata Metaphysicè, non est determinabilis Metaphysicè, ita nec forma determinata Physicè, est determinabilis Physicè. Tum quia materia, non est indifferens ad hoc in specie constituendum compositum. Ergo nec determinabilis Physicè. Antecedens probatur, ideo forma etiam diversis specie materiis unibilis, non est indifferens ad dandam speciem, quia etiam unita diversis specie materiis v.g. forma humana, est determinata, dare speciem, non nisi hominis, sed etiam materia unibilis diversis specie formis est determinata, ut det esse corporei per modum recipientis, parit, &c. cur ergo ita illi non competet determinatio, sicut & formæ, curque hæc determinatio in forma, ponit rationem formæ, & non ponit sua determinatio, in materia, cur inquam, non ponit in illa rationem formæ. Quod si dicas determinabilitatem illam esse Metaphysicam.

CONTRA erit. Non solum Metaphysicè, sed etiam Physicè, & à parte rei habet talem sui esse determinationem Materiam.

DICES. Aliam determinationem Physicam competere Materiæ, aliam formæ. Hoc ipsum explicandum esset, & illud, si legitimum explicativum erit, definit Materiam.

Quando autem Aristoteles meminit, quod materia non sit eorum quidquam quibus ens determinetur, loquitur de conceptu non primò essentiali, sed utcumque explanativo. Et licet dicatur, quod omnis potentia sit determinabilis, non est tamen necesse, ut de primo essentiali conceptu potentiæ, sit determinabilitas. *Ve decidatur, sit*

### DIFFICULTAS III.

*Quid primò essentialis conceptus  
Materiæ.*

DE requisitis primò essentialis, conceptus, agitur prima parte D. I. N. 2. ubi de primo essentiali conceptu Dei. Interim hoc dici potest, quod nomine, primò essentialis conceptus, veniat formalitas, primò in ordine ad nostros conceptus rei constitutiva, distinctiva &c. & radix reliquarum perfectionum. *Hoc posito*

DICENDUM est. *Primo essentialis conceptus materiæ, esse, quod sit potentia passivè constitutiva compositi, eaque radicaliter sumpta, vel quod sit subiectum, quo non datur prius, radicaliter sumptum.*

PROBATUR primò. Auctoritate Aristotelis ex I. Phys. textu 82. Ubi definiens materiam, dicit illam esse *subiectum primum* & ait frequen-

ter, quare hoc compositum sit unum, non est querendum, nisi quia hoc actu illud potentia est. & 8. Physicor. jam, dicit, quod quæsierint antiqui, quæ sit ratio, unionis inter potentiam & actum, & quæ sit differentia, &c. Ubi propriam responsionem adferens, ait; *Causa verò est quoniam potentia, & actus rationem querunt unionem & differentiam, est autem, ut dictum est ultima, materia, & forma, idem, & hoc quidem potentia, hoc verò actu, ubi explicans, quid materia, quid forma, subdit, quod hoc quidem potentia, hoc verò actu, similia sunt I. Physic. 6. 9. L. de Gener. c. 7. 8. Metaph. textu 3. 5. Phys. 7. 8.*

PROBATUR secundo. Quod est quidditativa definitio rei, est primò essentialis conceptus rei, nihil enim est prius essentiali, quàm quidditas rei, adeoque definitio quidditativa quæ illam quidditatem explicat, sed dictæ rationes sunt definitiones quidditivæ explicantes materiam, quid enim aliud est? Ergo prædictæ rationes sunt primò essentialis conceptus.

PROBATUR tertio. Ratio potentiæ passivè constitutivæ compositi, ratio item subiecti primi sunt rationes essentialis materiæ, sed non secundo essentialis. Ergo primo essentialis. Minor probatur, illud non est secundo essentiali, materiæ, ad quod à reliquis omnibus prædicatis valet subsistendi consequentia, sed rationes prædictæ sunt tales. Ergo. Major probatur inductione, ad animal enim rationale, valet subsistendi consequentia, à reliquis intrinsicis prædicatis, tanquam ad aliquid præsuppositum, per modum principii & radices; licet non tanquam ad aliquid magis universale, sicque de reliquis; Quæ inductio in hoc fundatur. Quia primò essentialis conceptus est radix reliquorum, ultimumque resolutorium. Ergo ad illum ab omnibus aliis intrinsicis prædicatis, debet tenere subsistendi consequentia. Minor principalis probatur, Bona est hæc illatio, materia est determinabilis, perfectibilis, &c. Ergo est subiectum primum. Ergo est potentia passivè constitutiva compositi, &c.

OBJICITUR primò ex Oviedo. Possibilis est materia, quæ non sit receptiva formarum, & unionum, & tamen constituat compositum. Ergo possibilis est materia, quæ non sit potentia passivè constitutiva compositi. Antecedens probatur. Materia de facto non recipit animam rationalem & unio spiritalis subiectivè se tenet ex parte ipsius animæ rationalis.

RESPONDETUR. Nisi sit abusus vocis, & particularis ejusdem acceptio, non potest dici, quod anima rationalis non recipiatur in materia; duplex enim est subiectum quoddam informationis, aliud inhæsionis seu sustentationis utrumque hoc habet materia, est subiectum inhæsionis, in quantum est potentia, respectu formarum materialium, quæ actualiter non possunt extra materiam existere, & quidem

† f

si hæ

si hæc formæ sint substantiales, Materia, respectu illarum vocatur subiectum sustentationis, si autem sint accidentales, erit materia respectu illarum, subiectum inhesionis. Respectu autem formarum, quæ naturaliter existere possunt extra materiam, qualis de facto est anima rationalis, vocatur subiectum informationis seu quod idem intelligitur subiectum receptionis, nisi velis multiplicatas voces sine necessitate. Deinde, quamvis hic medius terminus neget animam rationalem recipi in materia, non negat tamen materiam respectu animæ rationalis, esse potentiam, concedere enim debet, quod materiam actuet, informet, quæ omnia supponunt materiam esse potentiam, hinc concesso antecedenti negabitur consequentia. Denique concesso hoc, quod Materia non recipiat animam rationalem, tamen Materia informatur ab anima rationali, adeoque respectu illius est subiectum primum, quia *Ly* subiectum primum, est prædicabile de subiecto informationis, receptionis, inhesionis, sustentationis. Nos autem in definitione non posuimus, quod materia sit subiectum primum receptionis; Hinc quamvis non recipiat animam rationalem materia, adhuc erit in re subiectum primum ejusdem, quam formalitatem, dicimus solum, esse primo essentialem conceptum.

INSTABIS ex eodem. Creetur forma materialis, creetur & unio, quæ subiectetur in forma illa, fiatque compositum, ex hac forma, ex hac unione, ex hac materia, erit tunc, verè materia, & tamen non receptiva formæ, & unionis. Ergo de ratione materiæ non est, esse receptivam, formæ & unionis.

RESPONDETUR. Transeat totum, nam distinguit arguens, esse receptivum ab esse potentia, illoque negato, hoc secundum non negat, quod ipsum & solum nos affirmamus. Deinde negamus illam materiam non esse receptivam illius formæ, nomine enim receptivæ intelligimus subiectum informationis, materia autem verè adhuc informaretur illa forma.

OBJICITUR secundò. Possibilis est materia, quæ non sit passivè constitutiva compositi, adeoque quæ non sit subiectum primum, Antecedens probatur, quia nulla in hoc potest auferri implicantia, præcipuè, cum etiam non sit impossibile compositum, in quo neutra pars sit subiectum, neutra actus.

RESPONDETUR. Quæcunque tradita fuerit ab oppositis definitio materiæ primæ, modo sit legitima, ex illa inferetur implicare contradictionem materiam, quæ non sit subiectum primum, supposita autem definitione Aristotelica, ostenditur implicantia, quia scilicet & esset illa materia talis materia ut supponitur, & non esset, quia per Aristotelem Materia, est subiectum primum, est potentia in composito, &c. An au-

tem possibile sit prædictum compositum, de hoc nihil in præsentia.

OBJICITUR tertio. Nulla ratio respectiva ex nostris principiis in relatione transcendentali explicatis, est primò essentialis, rebus absolutis, sed ratio potentia, & subiecti primi, sunt rationes respectivæ. Ergo materiæ quæ est per nos, ens in primo suo conceptu absolutum, convenire non potest.

RESPONDETUR. Quod ratio potentia radicaliter sumpta, non sit respectiva, licet ratio potentia formaliter sumpta sit respectiva, quod ipsum sic explanatur. Voces significationem, non nisi ex placito habent, si ex placito habent, idem nomen potest diversas habere significationes, ut patet in æquivocis & analogis, ne verò ita suspensus in significatione penetranda, remaneat animus, placitum intercessit notis cæteroqui nominibus, additamenta facere, ut cum illa appendice, deveniatur in objecti notitiam, hinc etiam in præsentia, in penuria vocum, nomen cæteroqui obvium potentia & subiecti assumitur, & ut significet radicem ipsam potentia, quæ ex modo nostro concipiendi, præcedit respectivè & formaliter acceptam potentiam, additum hoc ponitur *ly radicaliter*; unde etiam in definitione hominis, *ly* rationale radicaliter accipitur.

INSTABIS. Ergo etiam determinabilitas perfectibilitas, &c. radicaliter sumpta erit primò essentialis materia.

RESPONDETUR. Negando illatum, quia ut aliquid radicaliter acceptum possit esse primo essentialis conceptus, debet esse formalitas certò conveniens, & talis, quæ, ratione nostra, non detur prior; aliàs unaquæque formalitas, cum addito radicaliter, posset esse primò essentialis conceptus; jam autem ex dictis supra, vidimus determinabilitatem & perfectibilitatem, non esse indubitatam formalitatem materiæ, & immediatè ante, vidimus rationem subiecti, priorem esse illis formalitatibus, supposito quod dentur. *Illustrari, hoc sic potest*; formetur hæc propositio, homo est animal rationale radicaliter, formetur & hæc alia, homo est animal risivum radicaliter acceptum, hæc propositiones, sunt distinctæ in formalitatibus Rationalis & risivi, & quia non possunt esse duo distincti primò essentialis conceptus, ejusdem rei, quomodo enim eadem & una esset, quomodo enim eadem & una esset, quomodoque duo essent prima, ideo necesse est comparere duas illas, inter se formalitates, quænam sit illarum prima, independenter à *ly* radicaliter, deprehenditurque rationalitatem esse priorem, cum ergo *ly* potentia & subiectum &c. deprehendantur comparative, ad alias, suo nomine exprimibiles formalitates, habere rationem prioris, bene additum illis *ly radicaliter* primò essentialis conceptum explicabit.

Obj-

OBJICITUR quartò. De hoc ipso quæritur, quare pars A sit potentia & subjectum primum, & quare pars B sit actus.

RESPONDETUR. Est quidem verum, quòd dictus conceptus, non adferat prædicatum ali- quòd distinctum realiter, imò nec adferre debet, nam definitio à definito non distinguuntur realiter. Est item verum, quòd non adferat prædicatum simpliciter extinctivum interrogationum, nam etiam posito, quòd dicat aliquis hominem esse animal rationale, quærere restabit: quare sit animal rationale, sufficit tamen, quòd adferat prædicatum, quo in ordine ad nostros conceptus non datur prius, & quòd tantum sola inductione, explicationeque terminorum illustrari possit. Quanquam accedi etiam ex tempore poterit ad argumentum, quòd probat dari materiam primam: ita ut illud sit subjectum, quòd remanet post resolutionem, tantquam aliquid commune, cum ergo pars, A, & non alia maneat, illa pars A erit materia.

OBJICITUR quintò. Subjectum primum est terminus æquivocus, nam potest esse aliquid subjectum primum prædicationis vel promotionis politicæ, &c. ut cum proximè promovendus, & excellens in politicis, appellatur subjectum primum.

RESPONDETUR. Ex circumstantiis, in quibus loquimur, explicatur satis, rem esse, de subjecto Physicè spectato.

## QUÆSTIO II.

### *De existentia Materie.*

IMprimis disquirendum erit: An existat Materia; Deinde propria ne an aliena existentia & tum primum alia huc spectantia discutientur.

## DIFFICULTAS I.

### *An detur Materia prima?*

DICENDUM est: *Dari materiam primam*; Est conclusio Aristotelica. Quòd detur Materia.

PROBATUR medio termino communi, qui sic proponitur: Vel dantur mutationes substantiales, vel non dantur, neutrum dici potest. Ergo neque potest dici, quòd non detur materia prima. Minor probatur, non potest dici, quòd non dantur mutationes substantiales, aliàs lignum non esset combustibile, siquidem ex ligno non posset substantialiter fieri ignis. Rursus ignis nunquam esset extinguibilis, neque posset sub-

sidere in cineres, siquidem post formam ignis, non posset introduci forma cineris. Si autem dantur transmutationes substantiales. Ergo quòd fuit sub una forma substantiali, manet etiam sub alia forma substantiali, si enim non idem maneret, sub alia forma substantiali. Ergo in mutatione substantiali esset annihilatio, quòd probatur, tunc esset annihilatio, quando nihil manet ejus, quòd præfuerat, sed in substantiis transmutationibus nihil maneret ejus, quòd præfuerat. Ergo in transmutatione substantiali esset annihilatio. Minor, immediata probatur; in transmutatione substantiali v.g. ligni in ignem, non maneret v.g. forma ligni, ut per experientiam patet, & probabitur infra, ubi ostendetur, duas formas substantiales non posse esse, in eodem subjecto, non maneret etiam in transmutatione substantiali materia, quia per te non datur. Ergo nihil maneret, consequenter in transmutatione substantiali esset annihilatio, quòd non potest dici. Tum quia annihilatio sicut & creatio excedit vires naturales. Tum quia accidentia multa, remanent abeunte jam forma substantiali, in quo autem subjectarentur, si esset annihilatio totius substantialis præcedentis, & si non daretur materia prima. Tum quia si in mutatione substantiali intercedit annihilatio, vanus esset cultus reliquiarum siquidem nec forma illic esset sancti, nec materia.

CONFIRMATUR. Si non daretur materia, connaturale esset agenti naturali; v.g. igni, creare, sed nulli est connaturale creare. Sequela probatur, connaturale est uni igni alium ignem producere. Ergo & connaturale esset creare. Tunc enim esset connaturale creare, quando connaturale est producere ex nihilo subjecti, seu ex nullo subjecto præexistente, conferre totum esse de novo, sed ignis produciens alium ignem, conferret totum esse de novo, quòd probatur, conferret formam de novo, & nullum subjectum ejus è quo educeret formam, supponeret. Ergo ex nihilo subjecti produceret, adeoque crearet.

Quòd autem detur materia, eaque prima, sic probat Suarez. Quando ex ligno fit ignis, manetque idem subjectum, quòd olim erat sub forma ligni, ut sic jam sub forma ignis, vel illud subjectum præsupponit aliud subjectum, vel non præsupponit, si non præsupponit, habetur intentum; si præsupponit de illo ulterius, quærendum restabit deveniendumque erit, ad aliquid, primum, cum non detur processus in infinitum in istis subjectis subordinatis.

OBJICITUR primò Auctoritas Aristotelis:

PRIMA Auctoritas est. Ex primo Phys. textu 77. ubi ait Aristoteles, ea quæ fiunt, non fiunt per se, ex aliquo ente, sed solum per  
† f 2 acci-